

Bibliothèque numérique

medic@

**Maingault, L. P.. - Non ne sunt plures
methodi curandi fracturas plaga
complicatas ? Quaenam praestantior
?**

1827.

Paris : Ex typographia Cosson

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1827x02x12](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1827x02x12)

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA ANNO 1825.

NON NE SUNT PLURES METHODI CURANDI FRACTURAS PLAGA
COMPLICATAS?

QUENAM PRÆSTANTIOR?

THESIS

*Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Pari-
siensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis com-
petitorum disputationibus subjectas tueri conabitur octavò
die martis, anno 1827,*

L. P. MAINGAULT,

DOCTOR FACULTATIS PARISENSIS, ADJUNCTUS REGIÆ ACADEMIÆ MEDICINÆ, etc.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA COSSON,

VIA SAINT-GERMAIN-DES-PRÉS, N° 9.

1827.

0 1 2 3 4 5 (cm)



Præses D^r ESQUIROL.

Judices. { P^{rs} BOYER.
CRUVEILLIER.
DUPUYTREN.
DESORMEAUX.
MARJOLIN.
RICHERAND.
CLOQUET.
MURAT.

Vices Gerentes. { D^{rs} DENEUX.
RIBES.
PATRUX.
COLOMBE.
BELMAS.
CORBY.
BAUDELOCQUE.
BURET.

Competitores. { ROY.
BLANDIN.
VEYRAT.
GRAND.
BÉRARD.
HATIN.
DABLED.

PROOEMIUM.

PHENOMENA quæ fracturas plagâ complicatas comitantur, tam sunt inter se diversa, tamque aliquandò extraordinaria, ut forsàn bis idem casus non occurrat, et verè dici possit alias esse in aliis fracturis indicationes. Itaque docti viri, qui fracturas plagis complicatas diligentissimè, sunt scrutati, in contrarias distracti sunt sententias ubi præscribenda fuère generalia præcepta de curandis hujus modi fracturis; sed iis temporibus anatomica nondum tam processerat quàm hodiè, neque chirurgia hoc attigerat perfectionis atque certitudinis gradum ad quem nunc pervenit. Ars verò sanandi, dùm ad perfectionem progressa est, sanè debuit præcepta reddere clariora, certioraque et simpliciora; quam obrem nunc infinitam propè morborum multitudinem planiùs compertam habemus; multa insuper accuratè observata, et, ut ità dicam, conservata à doctissimis viris, chirurgiæ fines longiàs protulerunt. Studium pariter fracturarum propectum fuit quò pertingere unquàm possit; quarum enim differentiæ, causæ, circumstantiæ quæ illas concomitantur, signa quibus notantur, et indicationes quæ occurrunt, hæc omnia fuerunt adèd exposita et perpensa, ut ad certam sanitatem perducantur fracturæ.

In hoc scientiæ statu plures sunt methodi curandi fracturas plagâ complicatas. Auctores qui eas prædicant, applicationem efficacem confirmant et argumentis et factis ad pervincendum idoneis; nonnulli tamen nunc conantur quamdam afferre mutationem in ratione fracturas in universum curandi, et præcipuè fracturas plagâ complicatas.

Per longum temporis spatium , methodi curandi fracturas plagâ complicatas fermè non mutatae fuerant , quamvis perfectae fuissent ex decimo sexto seculo , sive in curatione , sive in deligationum applicatione quâ in re conatibus qui famam sunt adepti , nostris sunt sanè digni laudibus. Inter quos summâ admiratione celebremus *Ambroise Paré, Lafaye, Duverney, Louis, Ledran, Scultet, Moscati, Lamotte, Pibrac, Foubert, Heïster, Belocq*; nec non gratâ voce meritis tribuamus laudes clarissimis viris qui , priorum vestigiis ingressi , operam et studium contulère ad perfectiora praesertim et simpliciora efficienda chirurgiæ præcepta , è quibus hæc in ætate numerantur *Sabatier, Dessault, Petit, Boyer, Bichat, Dupuytren, Richerand, Roux, Lisfranc, Sauter, Mayor*, etc.

Hodiè duæ methodi præcipuæ ac dissimiles dividunt medicos. Quibus methodis affinitate devinciuntur modificationes quædam quæ novas ferè methodos constituunt.

Utraque et in Galliâ et in aliis Europæ regionibus usurpatur à medicis doctrinâ prestantissimis , et quisque dissimili methodo pares ferè obtinet successus.

NON NE SUNT PLURES METHODI CURANDI FRACTURAS PLAGA
COMPLICATAS?

QUENAM PRÆSTANTIOR?

SECTIO PRIMA.

METHODUS PRIMA.

Hæc methodus est antiquissima et à pluribus usurpata. Differt omninò ex illâ quam mox expendemus, quia in hac, si plaga existit, medicationes iterantur singulis vel alternis diebus, ex naturâ et gravitate plagæ quâ complicatur fractura, sic que apparatus tolli debet et admoveri quotiescumque renovatur medicatio. Adjuvatur in quibusdam casibus hæc methodus continuatâ extensione, et quàm apparatus quibus tam utitur medicus ad eam exercendam satis solidè conficiuntur, novam addunt huic modo curandi utilitatem.

Fateri tamen non dubitamus hæc methodo, membris fractis motis, leves quidem, sed nocentes communicari, plagamque sæpiùs æeris contactu exponi.

SECTIO SECUNDA.

Huic methodo, quam suprâ indicavimus, sed non descripsimus, quia nota est omnibus, hic succedere posset methodus altera quæ omninò est contraria, et quæ in hoc consistit ut apparatus maneat

applicatum quandiù natura fracturam et plagam conglutinat; sed, in priore methodo ex variâ membri fracti positurâ oriuntur nonnullæ novæ methodi quæ sunt istius modificationes; tales sunt:

- 1° Semi-flexio;
- 2° Positio idonea et quies, sinè apparatu;
- 3° Sensusio membri, dicta *methodus axiculi* à doctolibus SAUTER et MAYOR inventa.

Quarum prima à Professore Dupuytren, secunda Professore Richerand jam pridem celebratur.

N° I^{er}. *De semi-flexione adhibitâ in curatione fracturarum quæ plagis complicantur.*

Hæc ratio ponendi membra fracta in semi-flexione ad curandas fracturas indicata est ab Hippocrate et Galieno. Censebat quoque Ambroise Paré hanc positionem aliquandò efficaciter adhiberi posse. Pott, clarus apud Anglos chirurgus, adhibuit semi-flexionem, et idem illius commoda in fracturis cum aut sine plagâ verbis exaggeravit.

In nonnullis nosocomiis hæc methodo feliciter utuntur. Mihi non semel occurrit occasio hujus adhibendæ; nec animadverti retractionem membri majorem esse quàm quàm fractura extensione curata est.

In opere quod nuperrimè edidit Doctor Mayor de hyponartheciâ, apparatus describit quo axiculi atque semi-flexionis commoda junguntur.

Semi-flexio igitur opportuna est positura, ut experienciâ probatur; attamen constat hancce medendi rationem esse rejiciendam in quibusdam fracturis. Re quidem verâ grave præbêt incommodum in fracturâ extremitatis superioris tibiæ.

Præcipuus quidam chirurgus in uno è parisiensibus nosocomiis,

fautor semi-flexionis, mihi enarravit quanta ei occurrat difficultas si eâ utatur methodo in fracturâ superioris partis tibiæ.

Ceterum in fracturis plagâ complicatis procùl dubio favet hæc methodus medicationibus, quia nullis motibus fractum membrum afficit, quod semper sedulò vitandum, ut citiùs consolidetur fractura.

An verò præstantior methodo sine medicationibus?

Respondeant tempus et usus.

Nº II. *De positione idoneâ et quiete adhibitâ sine apparatu in curatione fracturam quæ plagâ complicantur.*

Hic modus curandi fracturas simplices aut plagâ complicatas pertinet ad professorem Richerand, qui, fretus opinione Sabatier et suapte experienciâ, comprobavit successibus quos obtinuit posituram idoneam et quietem membri ægri sufficere in fracturarum curatione.

Simplicans aut abjiciens omne genus deligationis, obtinuit curationes quæ probant plerasque fracturas curari posse hæc solâ ratione, quæquidem eò magis convenit quòd, quum plaga existit, medicationes sunt factu faciles, nec membrum periculosè concutiunt.

Non hic locus referendi facta quæ inseribuntur sive *in historiam progressuum* recentiorum chirurgiæ, sive in aliis opusculis. Propterea quòd de semi-flexione satis copiosè disserui, non plura dicam de methodo quam sequitur professor Richerand ne eadem repetam; etenim in nonnullis fracturis positura et quies nihil aliud sunt quam semi-flexio; in hoc certè contingunt duæ methodi, quæ summo jure cocunt, quasque in duas partes divisi, quò tantum dilucidior quæstio videatur atque accuratiùs disputem de materiâ omni parte considerandâ, quippè quæ sit ea res, ut ità dicam, adhuc intacta.

Ceterum subversiones illæ quas nonnulli meditantur in curatione

fracturarum simplicium aut plagâ complicatarum, notandæ sunt certè in medendi artis historiâ. Itaque ego sum diligenter de hoc argumento disserere conatus; me tantùm piget hanc rem evolvere non posse prout digna videtur, sed vetat locus et præsertim dicendi difficultas in linguâ quâ jam dudùm uti non soleo.

Nº III. *De Methodo SAUTER modificatâ à Doctore MAYOR et designatâ sub nomine Methodi axiculi*

Hæc methodus simplex ferè nondùm in Galliâ non cognoscitur. In millesimo octogentesimo duodecimo anno, Dr Sauter, in urbe Constantiâ medicus hancce denunciavit et prædicavit methodum sanandi fracturas plagâ complicatas aut non complicatas.

In opere de progressibus recentioribus, hæc inventio tantùm modò indicatur.

Nuperrimè Doctor Mayor, medicus, philosophus atque vir doctrinæ humanitatisque amore præstanssimus, opus Sauteri non solum in gallicum sermonem convertit, sed etiam ipse libellum edidit gallicè designatum sub hoc titulo : *de l'Hyponarthécie*, in quo exponuntur commoda numerosa hujus modi sanandi fracturas et specialiter fracturas plagâ complicatas.

Hæc methodo membrum fractum collocatur in axiculo facto in modum culcitæ, qui unoquoque angulo quatuor funibus suspenditur. Funes ipsi collecti in unum baculo inseruntur, infixi in supremo lecti tegmine aut in laqueari.

Hic apparatus, ait Doctor Mayor, una est species mitellæ perfectæ, in quâ tribus tantùm ligulis alligatur (constringitur) membrum fractum, quod sine ferulis aut sine alio apparatu et nudatum, facile curari potest si fractura est complicata plagâ.

Hæc methodus haberi potest suspensio conjuncta positioni, semi-flexioni et duplici-flexioni.

SECTIO TERTIA.

NOVA METHODUS FRACTURAS PLAGA COMPLICATAS CURANDI SINE MEDICATIONIBUS.

Hic methodus sanandi fracturas complicatas inventus est ferè à doctore uno ex nostris chirurgis exercitum præstantissimis. In hoc constitit ut nempè reducantur fracturæ simplices aut plagâ complicata, destruantur aliæ complicationes, ritè curentur et denique membro fracto accommodetur apparatus qui manet applicatus, donec concretio et plagarum sanatio perficiatur. Quo tempore elapso, apparatuque sublato, plagæ et fracturæ glutinantur.

Cogitamus hanc methodum convenire in fracturis simplicibus, aut plagis levibus complicatis. Si autem plagæ sunt cum substantiæ jacturâ, si crassa vasa læduntur, si perturbatio prænunciat accidentia inflammatoria, si frena plagæ solvenda sunt, si denique sclopetarium est vulnus, an decet, an prudentis viri novâ methodo sine medicationibus uti? Hæc multæ sunt graves circumstantiæ in quibus prudentiâ sagacitate summâ et artis peritiâ instructus esse debet chirurgus ut unum aut alterum sequatur consilium.

Ego verò, vidi Doctoris Larrey successus, sed tùm plagæ quæ fracturam comitabantur simplices erant, et quidem magnæ.

Professor Marjolin hanc quoque expertus est methodum. Inoramus an commoda observaverit necne attamen hic modus nobis conferre posse videtur ad perfectionem curationis fracturarum.

Differtigitur hæc methodus cum methodo vulgari quòd per omne tempus curationis apparatus manet applicatus,

Inter se conferuntur duæ methodi speciales.

Harum methodorum quæ nam præstantior?

Omnes methodi curandi fracturas in duas essentielles dividuntur.

Prior vocatur methodus ordinaria. Posterior designatur sub nomine methodi sine medicationibus. Sed quænam præstantior? Credimus comparisonem institui non posse.

Methodus ordinaria convenit in omnibus casibus.

Methodus sine medicationibus in quibusdam circumstantiis tantum adhiberi potest. In hac fatendum est vitari medicationes quæ secum trahunt incommoda, sed progressus morbi non possunt observari, quod fieri solet in priore. Unum certè, sed magni, fateor, momenti, commodum inesse mihi videtur in methodo à Doctore Larrey inventâ atque celebratâ, membrum nempè in perpetuâ quiete positum, quia medicationes fiunt inutiles; dùm in ordinariâ, quantacunque sit medici dexteritas, semper aliquot motus membro fracto communicantur; attamen experienciâ comprobatur quàm sit efficax prior methodus seu ordinaria. Quòd verò si ægros transfere in alium locum oporteat, nova methodus anteponenda est fortassè quòd mutatio fragmentorum fieri non potest.

SECTIO QUARTA.

DE PLAGIS PROUT FRACTURARUM COMPLICATIONE HABITIS.

Plaga vel plagæ quibus complicantur fracturæ sunt una è circumstantiis quæ sæpissimè curationem modificant.

Hoc læsionum genus producitur aut ipsâ vi contundenti, aut fragminibus ossis fracti, quæ foràs proferuntur et molles partes, quibus circumdantur, penetrant cum majoribus minoribusve accidentibus.

Plaga igitur aut plagæ producuntur viribus quæ ab exterioribus interiora, vel ab internis exteriora petunt.

Eæ vires aut contundentes aut secantes aut pungentes esse possunt, quarum una quæque parit phænomena plus minùsve gravia.

An simplex vulnus? Connectantur vulneris oræ.

An complicatum? Hinc nova occurrit medendi ratio.
 An cum jacturâ substantiæ? Alia indicantur facienda.
 An vulnus sclopetarium? Fractura propriam postulat curationem,
 et nonnunquam medicus consilii hæret ambiguus.

De plagis vi interiore productis.

Contudentia corpora quæ ossa frangunt non semper produciunt plagas, quæ sæpè ex ipsâ fracturâ consequuntur; attamen ob variam illorum formam, quæ sæpius est angulosa, aliquandò plagas contusas efficiunt.

Si ex osseorum fragminum disjunctione consequatur plaga, continuitatis solutio fit ex internis ad externa; instrumentorum pungentium instar agunt, molles scilicet dilacerant partes quæ os fractum circumdant et majorem minoremve perturbationem afferunt.

Quædam deniquè secantia instrumenta possunt simul et ossium et partium mollium continuitatem dirimere; illis tùm opus est vi magnâ et mirâ velocitate. Quùm autem dividunt organa minùsque comminuunt quàm contudentia aut pungentia corpora, accidentia quæ huic læsionis generi succedunt leviora sunt quàm illa quæ produciuntur vi contudentium aut pungentium, sive agunt ab externis ad internas, sive ex internis ad externas partes; quod saltem usus et observatio probare videntur.

In diversis casibus quos suprâ retulimus ad fracturas curandas uti decet apparatu simplicissimo. Indicatur præcipui quùm plaga substantiæ jacturâ complicatur.

Simplex apparatus præsertim decet, si os fregit ut tormenti globulus, aut globis minoris fragmentum, quia tùm consequuntur plagæ contusæ, curatio longa, aut suppuratio plùs minùsve abundans.

Tùm nova methodus fracturas plagâ complicatas sine medicationibus curandi nullo modo nobis idonea videtur, et quævis alia anteponenda procùl dubio est. Etenim quò magis separatur mem-

brum, quò faciliùs plaga curari potest, eò promptior erit sanatio, quia accidentibus sequentibus luctari faciliè poterit chirurgus. Sic perfectâ in nostrâ ætate fracturarum curatione, non erit forsân tam frequenter quam olim ad amputationem confugiendum.

CONCLUSIONES.

Ex omnibus rebusquæ suprà diximus concludendum est:

- 1° Methodum vulgarem cum aut sine continuatâ extentione, jam dudum adhibitam fuisse prosperis cum successibus, quos confirmant quotidie et facta et usus;
- 2° Semi-flexionem in usum revocatam feliciter successisse, et vix paucas esse fracturas in quibus non adhiberi possit;
- 3° Positionem idoneam et quietam sine apparatu in fracturarum curatione adhibitam novam esse methodum simplicem, facilem et semper efficacem;
- 4° Methodum Sauterii perfectam à Doctore Mayor medicorum attentione dignam; eandemque recentiore quam ut commoda aut illius in commoda planè noscantur;
- 5° Methodum curandi fracturas sine medicationibus efficaciter adhibendam in paucis tantum circumstantiis, in fracturis scilicet simplicibus, aut plagis levibus complicatis.

FINIS.